

7.1

LAETITIAM SAECVLAREM

WERNIGERODANI
ARTIVM COLLEGII,
PER DVCENTOS ANNOS CONSERVATI,
QVAM

ARTIVM CVLTORES QVIDAM,
QVORVM
OCTO AD ACADEMIAM ABIBVNT,
PVBLICIS DECLAMATIONIBVS

D. XXII. APRILIS. MDCCL.
AB HORA OCTAVA MATVTINA
DECLARABVNT

INDICAT
ET

AD HAS ORATIONES
BENEVOLE CLEMENTERQVE AVDIENDAS
EPITOMEN HISTORIAE ECCLESIASTICAE
WERNIGERODANAE EXHIBENDO

INVITAT
HENRICVS CAROLVS SCHÜTZE,
RECTOR.



Wernigerodae, excrispfit litteris Ioh. Georg Struck, typograph. Aulicus,

1978

M

488

LIBRARY SAECVARIUM

WERNIGERODA

ARTIVM COLLEGI

THE DIRECTOR'S OFFICE CONSERVATION

QUAL

ARTIVM COLLEGIUM Q. 13

Q. 13

OCTO AD ACADEMIAM LIBRARIAM

PUBLICIS DECIAMATIONIBUS

D. 13. 13. 13. 13.

AD HONOR. GOTTFR. HARTMANNI

DE WERNIGERODA

1787

AD HONOR. GOTTFR. HARTMANNI



LIBRARY SAECVARIUM

WERNIGERODA

1787

FRANCIS CAROLVS SCHWARTZ

1787

Kapsel 78 M 488(7)

AK



A. D.



neque dica iubilaeorum scribenda est, neque praeconium. Vfus suos habent, habent et suos naeuos. Tempori occultam quandam vim et latentem efficaciam inesse credunt permulti. Quam vere aut quam superstitiose iudicent alii. Non omnium temporum eadem est conditio. Vel felicitate, vel calamitate varie inter se distinguuntur. Diuino autem imperio ac prouidentiae adscribenda forent, quae temporis cursui imputant aut successioni.

§. II.

Inter temporum periodos, quas praecipue notandas censent mortales, eminet saecularis. Numeros ultra centum non ascendere et inde in orbem vel saccum redire credebant olim plurimi. Roma deorum cultrix exquisitis ceremoniis conditae vrbs memoriam quouis saeculo absoluto celebrabat. Solidus annus erat festus. Exornatione templorum, sacrificiis, ludis equestribus ac dimicationibus cum bestiis peragebatur.

§. III.

Cum res christiana Romae obtineret, cessabant superstitioni hi dies feriatum. Per mille fere annos de iis nemo cogitavit. Depravatis vero sacerdotum Romanorum moribus doctrinaeque evangelii variis conspurcata erroribus postliminio redacti sunt. Romano-catholicorum ecclesiasticus Monarcha, *Bonifacius VIII.* portam unam templi Petri, quam sacram dixit, calce ac consecratis lapidibus lateritiis obstrui iubet. [*] Edicto dein promulgavit, primo ianuarii die anni millesimi trecentissimi portam illam templi tamquam caelum in terris aperire se velle. Porta malleo inaurato perrupta templum inter tubarum ac tympanorum sonitum intrare se velle intimat. In edicto allegato adfirmat fore, ut omnibus, qui ipsum per sanctam portam in illud templum sequerentur, aperiantur aliquando ostia caeli. Benignissimus noster Soter, ita pergit, qui in sanctum sanctorum merito suo intraisset, etiam monstravisset nobis viam ad caeleste domicilium. Haec ita esse, ut luculentius comprobaret, enunciauit, se ipsum velle audire confessiones poenitentium. Impositione manuum peccatum et mortem tollere se velle dicere haud est verecundatus. Monet itaque omnes Romam venire. Nec pauperes excludit. Ditionibus autem Romam hoc festo venturis suadet non oblivisci munera secum ferre, quae in aerarium Romanum deponant, ut ex eo pauperes alantur, alique sumtus expendi possint. En abominandas circumductiones.

§. IV.

Nec eo festi saecularis termino contenti fuerunt pontifices. Tempus corradendis nummis destinatum redibat illis ferius. Hinc constituebant, ut singulis quinquaginta annis exactis iubilaeum celebraretur. Nec quinquaginta annorum decursum expectare poterant lucri cupidi. Trigesimo quoque anno iubilaeum colendum indicebant. Crescit pecuniae amor, quantum pecunia ipsa crescit. Hinc ad singulos quinque et viginti annos iubi-

[*] Vid. M. Frenzelii Römische KirchenHistorie. 5ter Theil. C. XXIV. pag. 297.

iubilaei terminum restringebant praesules Romani. Quenam sint molimina hodierni pontificis, quanta cum magnificentia ac sollempnitatibus vanis praesentem sic dictum annum sacrum transfigat, norunt, vel me non monente, omnes.

§. V.

Iubilaeum quidem iam et nos celebramus in nostro artium domicilio; sed illis non adplaudimus. Simplici pietate, quod nostri est officii, praestabimus. Memoriam recolimus scholae ducentis ab hinc annis fundatae constitutaeque. Hymnos decantamus supremo numini pro eiusdem conseruatione. Magna etiam apud nos sunt opera Dei stupenda iis, quibus placent. Magna est felicitas, quam lucis euangelicae missione nostris maioribus nobisque posteris indulsit. Magnum erat beneficium, quod lux euangelica variis antea corruptelis obscurata pristino apud nos restituta sit nitori.

§. VI.

Coruscus euangelii sol qui successu temporis fere totam Europam illustrauerat, tandem etiam perstrinxit oculos mentis maiorum nostrorum in hoc comitatu. Idolorum cultores illi erant, quemadmodum et ceteri Germani. Quo anno profanam superstitionem reliquerint incolae huius comitatus, liquido non constat. Cum Bonifacius euangelium in Thuringia iterum praedicaret, [†] et in hoc negotio usque ad Hercyniam sylvam penetraret, probabile est admodum, notitiam doctrinae caelestis in hanc ditionem peruenisse. Imperator *Carolus* factis *Magnus* victis Saxonibus vndique scholas, coenobia et episcopatus erexit. Seelingstadii templum vel coenobium exstrui curauit in honorem S. Stephani. Qui locus Seelingstädt vtrum fuerit pagus Süllstädt in hoc comitatu, an vero oppidum hodie Ostervic dictum inter scriptores disceptatur. Hoc certum est, huius templi vel coenobii bona ecclesiastica et possessiones Halberstadium esse translocatas, ibique

[†] Conf. Caluoer in heydnischen und christlichen Niederachsen, 2 Th. I. B. Cap. 2. §. 17.

ecclesiam cathedralem constitutam esse. [†] Quis dubitabit, veram de Deo doctrinam gentiumque Salvatore hac occasione in nostro comitatu innotuisse.

§. VII.

Quemadmodum vero tempore veris cum herbae, gramina, fruticesque progerminant, etiam erucac et scarabaei apparent: ita et hoc in propagatione euangelii euenit. Curia Romana per sectatores suos, immo per ipsum Bonifacium dogmata sua peruersa populo christiano simul instillari curabat. Mirum dictu, quantopere doctrina sacra et additamentis et detractionibus sit deformata. Post aliquot saecula eo excreuit pontificum proteruia, vt passim per prouincias mitterent institores, qui expiationem omnium delictorum pro numerata pecunia pollicerentur.

§. VIII.

Hinc illae lacrimae. Hinc tot piorum auditae sunt querimoniae. Hinc tot surrexerunt veritatis testes. Inter hos veritatis confessores optimo iure laudandus venit *ANDREAS PROLES*, coenobii Himmelpfort prope nostram urbem *PRIOR* olim grauissimus. (††) Iam sub finem saeculi post. C. N. decimi quinti contra gliscentes partim, partim iam adultos abusus in ecclesia surrexit. Inter alia dixit saepenumero: auditis, fratres, testimonium scripturae sacrae, quod gratia sumus, quidquid sumus, et gratia habemus, quicquid habemus: Vnde igitur tantae tenebrae et horrendae superstitutiones? Et alio tempore: o fratres! res christiana opus habet forti et magna reformatione, quam quidem iam prope instare video. Quaesitus Proles quare non ipse emendationem religionis susciperet, respondit: videtis, fratres, me esse aetate grandaeuum, corpore et viribus debilem. Et agnosco me non esse praeditum tanta doctrina, industria et eloquentia, quantum haec res postulat. Sed

[†] Caluoc. I. c. p. II. C. V. §. 41.

[††] Vid. Flacius in catalogo testium veritatis. Tom. II. Lib. XIX. edit Lugdun. p. 909.

Eximii huius viri memoriam iam renouauimus in oratione saeculari anno MDCCXXIXX habita cuius excerpta reperiuntur in actis historico ecclesiasticis MDCCXLI. pag. 773.

Sed excitabit Dominus heroem, aetate, viribus, industria, doctrina, ingenio et eloquentia praestantem, qui reformationem incipiet erroribusque sese opponet: ei Deus animum dabit, ut magnatibus contradicere ausit. Et ipsius ministerium salutare Dei beneficio comperietis. (†) Martinus Luther eum vocat virum in terris Germanicis magni nominis magnaue fidei. (††)

§. IX.

Sed furdis narrabatur veritas. Rectiora monentem ferre non poterat sacerdotum Romanorum chorus. Igne, ferro, carcere saeuitum est in veritatis adfertores. Nondum euoluta erat fatalis annorum series. Nondum illuxerat prosperrimum illud tempus destinatum huic rei diuinitus.

§. X.

Tandem, cum satis diu illusum esset generi humano, verior restituebatur religio. Venerandae memoriae viro Martino Luther hoc referuauerat diuina prouidentia. Illius ministerio repurgata sunt sacra. Dici non potest, quam longe lateque iubar lucis euangelicae sit diffusum. Sed alibi citius, alibi tardius.

§. XI.

Comites Stolbergenenses de religionis instauratione certiores facti citius, ocyus ecclesias suas repurgari curarunt, Comes Srolbergae et Wernigerodae BOTHO cognomento felix, felicior factus, quia reuiuifcentem veritatem auide amplectebatur ac propagabat. Cum veritatis adfertor Martinus Luther Wormatiae anno **MDLXXXI.** doctrinae suae rationem redderet, cum filiis duobus natu maioribus praefens erat. Hos duos filios Vitembergam studiorum causa miserat, natuque maior Wolf-

[†] V. Tenzel im historischen Bericht vom Anfang und ersten Fortgang der Reformation. cap. I. pag. 31.

[††] Erudita industria huius laudatissimi Proles vitam descripsit celeberrimus Godofredus Schütze. Lips. 1744.

Wolfgang Rectoris Magnificentissimi dignitate ibi functus est. [a] De caelestis veritatis restitutione ideo certior fieri poterat comes Botho. Laudatissimus eius filius *Ludovicus* de turbis ob fractionem imaginum concitatis Philippum Melancthonem consul-tavit. Ad quam interrogationem Martinus Luther peculiari industria respondit in epistola die veneris post festum resurrectionis Dominicae MD XXII. data.

§. XII.

Hic sincerioris doctrinae vindex ac reductor consilia suggestit de emendando statu ecclesiae. Sunt, qui Nicolaum Amsdorf purificationem doctrinae heic instituisse adfirmant. Sed argumentis sunt destituti. Maiorem fidem merentur, qui M. Henricum Winkel, Wernigerodani civis filium doctrinam heic repurgasse confirmant. [b] Posteaquam Halberstadii MD XXIX. emendationem sacrorum instituerat patriam suam non neglexit. [c] Certe *Lic. Autor Lampadius*, quem etiam Wernigerodanum fuisse quidam perhibent, huic comitatu egregia praestitit officia in repurganda doctrina publica. Munere scholastico etiam apud nos functus est. Anno autem MD XXXVIII. felicis memoriae comitem *Albertum Georgium*, qui celsam sedem in arce Wernigerodana sumserat, sacrorum in aula antistitem eum constituisse vt quidam perhibent, probare non possumus. [d]

§. XIII.

Faustus erat annus millesimus quingentesimus trigessimus nonus vrbi nostrae. Hoc enim anno religionis instauratio feliciter succesit. *Iacobus Grobec* primus purgatorum sacrorum minister ecclesiae Syluestrianae constitutus est. Iubilaeum idcirco anno huius saeculi trigesimo nono cum ecclesia Marchica, cui eadem felicitas redintegratae religionis obuenerat, celebrauimus. Ea tamen

[a] Zeitfuchs Stolbergische Kirchen- und Staats-Historie, pag. 51.

[b] Vitam VVinkelii exhibet Rethmeier, Braunschweigische Kirchen-Historie. P. III. c. III. pag. 50.

[c] Matth. Dresseri Sächsische Chronic. mill. VI. T. II. pag. 519.

[d] Zeitfuchs Stolbergische Kirchen-Historie. p. 218.

men conditione supra dictus *Grobec* hoc munus suscepit, ut per sex modo annos eo fungeretur. His exactis coetum sibi demandatum et nostram reliquit urbem. [e]

§. XIV.

Facta sic redintegratione emundatae religionis requirebatur eiusdem exercitii prorogatio. Nouum verbi diuini interpretem Syluestriana ecclesia sibi conquirebat. Facta itaque a veritatis propugnatore Martino Luther et Phil. Melanchthone commendatione Vitemberga euocabatur CIO IO XLV. M. Valentinus Donatus. Scholae sunt feminariae ecclesiae. Hanc ob causam magistri iuuentutis erant necessarii. Vitemberga cum Donato eodem anno CIO IO XLV. huc vocatus est Rector, *Henricus Angerstein*, Wernigerodanus, qui cum uno collega iuuentutem in coemeterii Syluestriani domo quadam bonas litteras docuit.

§. XV.

Non diu in puluere ac paedore scholastico delituit *Henricus Angerstein*. Tribus annis exactis ad munus sacrorum ministri in aede S. Ioannis in nostra Neapoli et Capitularis Capituli S. Syluestri et Georgii electus est constitutusque. Sic et in hac sacra aede purior doctrina personuit. Scholae vero facies iam deterior iterum facta.

XVI.

Sed benigna voluntate sapientissimoque dispositu eius, qui omnia versat, iam erat ei prospectum. Venerandae apud nos memoriae vir, **Lic. Henricus Horn**, in suburbio nostro Noeschenroda pauper natus, virtute et erudita industria Halberstadii diues factus, ibidemque capituli B. M. V. Decani, Consistoriique Praefidis dignitate auctus de fundanda heic schola consilium cepit,

B

pit,

[e] Communicauit haec nobiscum ex manuscripto fide dignissimo in priuato thesauro librario asseruato illustris Cancellarius, Emanuel Lamberg, noster et scholae fautor per bene multos annos benignissimus certissimusque.

pit, atque perfecit. [f] Salarium pro quatuor collegis eo tempore factis largum constituit. Commodi bonarum artium domicilii fundamenta anno millesimo quingentesimo et quinquagesimo iecit. Hanc indultu illustrissimi Comitis et suo sumtu fundatam scholam Magistratui huius vrbis commendauit.

§. XVII.

Sub auspiciis itaque gloriosae memoriae Comitis dum uiuere illustrissimi pariter ac piensissimi, Alberti Georgii, vrbis senatus sibi hanc virtutis et doctrinarum officinam amplius exstruendam amplificandamque sumsit. In hoc nouo domicilio porro quatuor scholae doctores sunt constituti, eiusque collegii primus Rector purgatis sacris addictus exstitit Ge. Thymius, *Andreamontanus*, cuius inscriptio metrica lapidi incisa adhuc in nouo scholae domicilioprehenditur.

§. XVIII.

Doctrina ecclesiae sic repurgata et schola bene ordinata de conseruatione eius illustrissimis comitibus erat cogitandum. Officiae ac technae enim Curiae Romanae nec paucae erant nec exiguae. Huc referendus est liber *Interim* dictus instinctu pontificis a Caesare promulgatus. Romanorum Imperator ad Comites Stolbergenses MD XLIX. rescribebat, vt praedictam doctrinae formulam reciperent. Comites nostri beatissimae memoriae cum Mansfeldensibus se coniungebant deliberaturi, quid respondendum foret ad rescriptum Caesareum. Si quid ergo in ordinationibus Caesaris deprehenderetur, quod in Dei honorem et subiectorum suorum beatitatem cederet, et in comitatibus ac ditionibus ipsorum nondum sit doctum et obseruatum, sese ordinaturos esse respondebant.

§. XIX.

[f] De viri huius virtutibus ac meritis in patriam vrbem ex instituto egit frater optimus Eustasius Frid. Schütze, Consistorii Assessor et Sacrorum apud Altonauienses minister optime promeritus, in programme ultimo, habito actui oratorio in peruetusto scholae domicilio ab Hormo exstructo, verbis autem exeso, ideoque tum diruendo praemisso. MDCCCXXIX.

§. XIX.

Cum laberetur annus millesimus quingentesimus quinquagesimus quintus, *Comes Henricus Senior* omnium ecclesiarum iustrationem quam generalem visitationem vocant, in comitatu Wernigerodano et Stolbergenfi institui curauit. In hoc negotio vtebatur ministerio Superattendentis Stolbergenfis *D. Ge. Aemilii*, viri erudita pietate ornatissimi. [g]

§. XX.

Concordia atque consensus in doctrina multum uti ad omnes societates prosperandas, sic praecipue ad emendandum statum populi christiani faciunt. Ad subortas itaque in ecclesia protestantium lites componendas Elector Saxoniae Augustus, formulam componi iussit, qua controuersiae illae ex diuinis litteris diiudicarentur. Haec concordiae formula CIO IO LXXX. publicata. Electores puriori doctrinae addicti, prouinciarum ac comitatum Principes multi ac ciuitates ei subscripserunt. Idem fecerunt oetius mille tam scholarum quam ecclesiae euangelico Lutheranae administrari. Acceptorunt quoque eam *Illustrissimi* eius temporis *Comites Stolbergenses*. Misso enim ab Electore Saxonico CIO IO LXXIX. exemplo F. C. cum epistola, [h] in qua desiderauit subscriptionem, omnes ditionis Stolberga-Wernigerodanae theologi ecclesiarum ac scholarum doctores subscripserunt haud inuiti.

§. XXI.

Sed, vt, unde discesseram, reuertar. Schola nostra per ducentos annos inter tot exitiales rerum conuersiones, immo medio bello tricennali, floruit. Caelesti tutelae florem eius ac stabilitatem memori imputamus mente. Superiores etiam caram hanc ecclesiae portionem amplificandam curarunt semper. Crescente enim

B 2

enim

[g] Zeitfuchs L. c. p. 217.

[h] Illustris ac generosissimus Iulius Leop. de Capriui, Regiminis ac Consistorii Director grauissimus ex tabulis publicis clementissimi nostri Comitis haec nobis tradidit liberaliter.

enim in dies discipulorum numero, numerus docentium est ad-
auctus. Anno CIO IOC XLIV. ad societatem scholasticorum laborum
aduocatus est collega quintus, *Theodorus Holtzbauer*. Non defue-
runt etiam, qui in antecedente et ineunte hoc saeculo legatis et
donationibus inter viuos praeceptorum labores aliquatenus compen-
sare studuerunt.

§. XXII.

Propria vero ac singularis est gloria **Celsissimi Comitis,**
CHRISTIANI ERNESTI, Comitis ac Domini
nostri clementissimi, quod ex omnibus illusterrimis maio-
ribus feminarii huius seruandi augendique rationibus consulue-
rit optime. Anno MDCCLXXIX. eius iussu salaria magistrorum au-
cta sunt. Anno currentis saeculi trigesimo nutu ac dispositu eius
NOBILISSIMVS SENATVS HVIVS VRBIS nouum scho-
lae domicilium exstruxit, pro cuius tuitione et conseruatione Deo vo-
ta decennalia secundum soluimus. Obsoletae etiam antea bibliothecae
scholasticae supellectilem vastis doctrinarum monumentis colloca-
pletauit. Insignibus instrumentis mathematicis eam auxit, et vt sup-
pellex libraria singulis annis in posterum augeri possit, peculiari san-
ctione CIO IO CCXXXIV. ordinauit. Sapiente eius gubernatione effe-
ctum est, vt anno huius saeculi trigesimo nono in commodum in-
feriorum classium Collaborator ac Calligraphus fit accitus. Iussit
etiam pro bene moratis et diligentibus bonarum artium alumnis
mensam sterni liberalem, quam conuictorium vocant.

§. XXIII.

Ter sanctissimum providentissimumque Dei numen deuote
imploramus, vt **Augustissimi Potentissimique Borussiae**
Regis, FRIDERICI II. Domini nostri clemen-
tissimi, felicitati addere velit perpetuitatem. Conferuet et nobis
celsissimum Comitem, **CHRISTIANVM ERNE-
STVM**

STVM, Comitem ac Dominum nostrum indulgentissimum, celsissimum eius filium, Comitem *HENRICVM ERNESTVM*, et exoptatissimum festiuissimumque nepotem, illustrissimum Comitem, *CHRISTIANVM FRIDERICVM*, *Comites ac Dominos nostros clementissimos*, Excellens in hoc nostro saeculari festo nobis obuenit laetandi argumentum monimentumque. In excelsissima Domo Stolbergiaca, quae Wernigerodae cum imperio effulget, perstant incolumes, spemque ac salutem subiectorum fulciunt, almus parens, excelsus filius ac venustissimus nepos. Praepotens ac propitius Deus efficiat, vt vita fruantur longaeua et prosperitate permanfura. Consummet Deus huius et totius *fulgentissimae Domus Stolbergensis* prosperitatem, illeque dies terminet eius felicitatem, qui *extinguet saecula omnia*. Beneficiat etiam Deus *reliquis Patronis ac Fantoribus nostris*, vt ecclesiae rei que publicae prodesse possint.

Summus piarum scholarum patronus sanctissimus Deus conseruet hanc pietatis artium cultique moris officinam, vt laetissimis aucta incrementis floreat atque perennet.

§. XXIV.

Cardine hoc scholae nostrae saeculari publicae laudationis sacrificia Deo reddere nostrum ducimus. Magna sunt etiam apud nos opera Dei, quae tacere nefas est, quae e diuerso enumerari iubet diuinior scriptura. Laetantur idcirco mecum, qui mecum in erudienda iuuentute huius lycei egregiam locant operam viri nobilissimi ac doctrina et usu praestantissimi

Christophorus Goosfredus Iacobi, Stapelnburgo-Wernigerodan.
Conrektor.

Clamer Henricus Fridericus Bienrod, Halberstadiensis. Subconrektor.

Georgius Christianus Stoecker, Falckenbaga Meso-Marchicus,
Cantor et Collega quartus.

Fridericus Hesse, Wernigerodanus, Collega quintus.

Ioannes Frider. Dornbusch, Ilfenburgensis, Collaborator et
Calligraphus.

Incun-

Iucundum est disciplinae nostrae alumnis hoc doctrinarum templum personare cantionibus laudantibus Deum pro collatis in nos beneficiis. In percensendis etiam illis occupabuntur aliquot lycei nostri iuuenes. His se adiunxerunt quidam aliud argumentum tractantes, vt varietate auditoribus summis ac humanissimis placeant omnes.

Exedram itaque oratoriam conscendent hoc ordine:

- I. Iustus Dauid Rüdiger, *Wernigerodanus*, de sermonis humani vtilitate et praestantia prae brutis differet, et simul vota decennalia pro tuitione et conseruatione scholae domicilii ante viginti annos exstructi Deo soluet gallice.
- II. Ernestus August. Pini, *Gandesia-Brunswicensis*, de vanitate rerum huius mundi dicet teutonico sermone.
- III. Iac. Ernestus Berniger, *Nostras* et Gotthilf Christianus Reccard, *Wasserlebia-Wernigerodanus*, colloquium de iubilaeis, praecipue de Papicolarum anno iubilaeo instituent stilo latino.
- IV. Io. Frid. Ge. Timpe, *Wernigerodanus*, de assiduitate in exsequendis negotiis perorabit latine.
- V. Ioannes Iac. Iunge, *Indigena*, de taciturnitate differet latino sermone.
- VI. Christianus Ludouicus Kleemann, *Nostras*, de concordia verba faciet.
- VII. Frid. VVernerus Pini, *Gandesia-Brunswicensis*, de animi submissione dicet latine.
- VIII. Iac. Ge. Iulius Kist, *Wernigerodanus*, de Germanorum heuristica, s. arte inueniendi perorabit.
- IX. Gottlob Bernardus Tendahl, *Arnstadiensis*, de humili loco natis et ad magnum dignitatis gradum euectis ante abitum ad academiam aget.
- X. Io. Henr. Christian. de Selchow, *Kindelbrucca-Thuringus*, encomium aequitatis dabit carmine germanico.
- XI. Samuel Delius, *Wernigerodanus*, potiora momenta historiae Wernigerodanae percensēbit.

XII.

- XII. Io. Bartholomaeus Rahard, *Eccardslebia-Gothanus*, ad academiam migraturus de tabacomania siue abusu herbae Nicotianae aget lingua vernacula.
- XIII. Aug. Car. Alexander de Zanthier, *Broseca Anhaltinus*, Ferdin. Leopoldus de Capriui, *Wernigerodanus*, Io. Dauid Schütze, *Wernig.* dialogum habebunt de aurora boreali.
- XIV. Frid. Ios. Guil. Schroeder, *Bielefelda-Guestphalus*, academiam petens almam pacem, qua comitatus Wernigerodensis per hos centum annos fruitus est, celebrabit ligato sermone.
- XV. Ioh. Martinus Osten, *Berolinensis*, ante abitum Paradoxon Ciceronis: solus sapiens est diues, confirmabit sermone latino.
- XVI. Christianus Henricus Runde, *Wernigerod.* de legatis et donationibus inter viuos scholae nostrae factis aget sermone teutonico.
- XVII. Hermann Dan. Hermes, *Petznico-Pomeranus*, gratus abiens de insigni quorundam pietate erga parentes differet carmine heroico.
- XVIII. Gotthilf Daniel Pöttcher, *Nostras* et Henricus Ernestus Rassmann, *Stapelnburgo-VVernigerodanus*, colloquium instituent de papilionibus eorumque generatione.
- XIX. Ioannes Andreas Christianus Schmidt, *Dernburgensis*, ante abitum ad Fridericianam de iure talionis differet stilo latino.
- XX.

X 3175038

XVI

† † †

XX. Io. Christianus Meier, *Indigena*, Ernestus Fridericus Hermes, *Petznico - Pomeranus*, et Henricus Fridericus Cramer, *Elbingeroda - Hannoveranus* dialogum habebunt de ficta sagarum peregrinatione ad montem Brueterum.

XXI. Car. Philippus Reichenbach, *Gröninga - Halberstadiensis*, de praecipue memorandis superioris anni aget et communi omnium abeuntium nomine valedictionem et gratiarum actionem adiunget lingua vernacula. Hunc excipiet tandem

XXII. Augustus Frid. Meidefind, *Dedelebia - Halberstadiensis*, qui carmen saeculare Deo canet, ad Fridericianam regiam migraturus.


Multum omnino facit ad excitandam litterariam pubem, si sentit specimina sua publica haud fastidiri.

Vt itaque **CELSISSIMI NOSTRI COMITES** ceterique lycei nostri Patroni, et omnes, qui bonas litteras amant, ingenisque fauent, grauioribus suis negotiis aliquot horas subtrahant, nostramque saecularem laetitiam praesentia sua augeant, optamus. Idque vt facere velint, submisit ac obseruanter petimus confidenterque speramus. P. P. Wernigerodae, d. XXI. Aprilis 1702.



Kapitel 78 M. 488 (7)
Jah. 1702





B.I.G.

Farbkarte #13

7.1

LAETITIAM SAECVLAREM

WERNIGERODANI
ARTIVM COLLEGII,
PER DVCENTOS ANNOS CONSERVATI,
QVAM
ARTIVM CVLTIORES QVIDAM,
QVORVM
OCTO AD ACADEMIAM ABIBVNT,
PVBLICIS DECLAMATIONIBVS

D. XXII. APRILIS. MD CCL.
AB HORA OCTAVA MATVTINA
DECLARABVNT

INDICAT

ET

AD HAS ORATIONES
BENEVOLE CLEMENTERQVE AVDIENDAS
EPITOMEN HISTORIAE ECCLESIASTICAE
WERNIGERODANAE EXHIBENDO
INVITAT
HENRICVS CAROLVS SCHÜTZE,
RECTOR.



Wernigerodae, exscipit litteris Ioh. Georg Struck, typograph. Aulicus.

1978

M

488

